

nicz praepositi Haynensis in ecclesia nostra canonicorum, testamentariorum felicis memoriae domini Theoderici olim magistri seu rectoris hospitalis nostri in Misna ac Petri plebani in Belgern matura deliberatione ac tractatu diligenti certo super hoc indicto capitulo praehabitis favorabiliter annuimus — quod iidem domini tres sexagenas grossorum cum duobus grossis census annui cum pullis et ovis in bonis villae Scüp sitae in districtu Haynensi ad proprietatem ecclesiae nostrae praedictae spectantibus a strenuo Johanne de Melyn, residente in Scassowchin, qui eadem bona a nobis et dicta nostra ecclesia tenuit in feudum, iusto emptionis et venditionis interveniente titulo comparatas et in manus nostras — resignatas, prout hoc in litteris desuper confectis, sigillis Johannis de Melyn saepedicti ac Johannis Roten, residentis in Gelnicz prope Kalow cognati et tutoris sui sigillatis — apparet, in pios et eiusdem ecclesiae nostrae usus infra scriptos convertere et applicare valeant atque possint, ita quod is, qui per capitulum praenominatae ecclesiae nostrae ad percipiendum censum huiusmodi specialiter fuerit deputatus, de praenarrata pecunia nomine domini Theoderici praedicti octo sollidos grossorum cum duobus grossis pro elemosyna, quae omni die in castro Misnensi pauperibus advenientibus elargitur, et de residuis septem sollidis in anniversario domini Petri plebani praedicti, cum de hoc medio sublatus extiterit, quatuor sollidos canonicis emancipatis et integratis pretio campanatoris et decima hospitalis inclusis, et duos sollidos temporalibus et perpetuis praefatae Misnensis ecclesiae vicariis in vigiliis ac missa defunctorum praesentibus, nec non sex grossos pro missis comparandis, super quo suam volumus conscientiam onerari, reservatis tamen sibi pro labore sex grossis cum pullis et ovis, quolibet anno perpetuis temporibus ministrare et distribuere teneatur. Et ne oblivio, quae inimica veritatis et mater existit erroris, quempiam in praemissis sibi locum vendicet, praefatas litteras desuper conscribi et nostri capituli sigillo appenso fecimus communiri. Datum et actum Misnae anno domini millesimo CCC<sup>mo</sup> LXVIII<sup>o</sup> in crastino beatorum Symonis et Judae apostolorum, praesentibus et testibus honorabilibus et discretis viris dominis Siffrido Hanfmus et Hermanno de Nova Civitate perpetuis ecclesiae Misnensis praedictae vicariis et pluribus aliis fidedignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Capitels an einem Pergamentstreifen.

No. 586. 1369. 2. Jan.

*Die Burggrafen Meinher und Bertold eignen der Domkirche Zinsen zu Okrylla zu einẽm Jahresgedächtniss.*

In nomine domini amen. Nos Meinherus et Bertoldus fratres dei gratia sacri imperii in Mysna burcgravii, comitesque in Hartinstein — volumus esse notum, quod veniens ad praesentiam nostram honorabilis vir dominus Siffridus dictus Hanfmus episcopalis ecclesiae Myszenensis vicarius sua nobis insinuatione monstrare curavit, quod tres sollidi grossorum latorum cum altero medio pullo et tribus mandalis ovorum et aliis oblagiis ad ipsos pertinentibus, qui de manso cum dimidio et duabus areis attinentibus, sito et sitis in villa et pago villae dictae Occhrül, in latere ipsius